P. VERGILI MARONIS AENEIDOS LIBER PRIMVS AB ARITVNEO MIZVNO POETA EMENDATVS

SCRIPSIT ARITVNEVS MIZVNO

詩人アリトゥネウス・ミズノによる

ウェルギリウス『アイネーイス』巻一の改訂

筆者　水 野 有 庸

PROOEMIVM

——ARITVNEI POETAE ARS METRICA AD AENEIDA EMENDANDAM——

Haud paulo nobilior diuinior magnificentior quam cetera carmina omnia, quidquid ostentatis, est *Aeneis* Vergiliana. si quidem adhuc uiuit Roma antiqua, si quidem in sempiternum uigere Europa Romana perget, si quidem haec mens Romana, quae quomodo suis in cunabulis nata ac nutrita sit splendissime canit *Aeneis* nostra, uis atque ars sit oportet aedificatoria orbis terrarum futuri: omnes homines rationis compotes necesse est *Aeneida,* huius saltem carminis sententias, mente reuerentissima perlegere atque penitus intellegere. sic enim satque superque discitur. inoptabile igitur nefandumque esse uidetur homines mediocres *Aeneida* digitis inscitis tangere atque imperitis. attamen si quis eandem *τῶν μετρικωτάτων* aspexerit, quid putatis euenturum? ingemescet hic idem, feriet pectus maestis nudum manibus, insaniedo libros deiecerit in humum, quod cum arte metrica propositum nobile uix ulla ex parte adaequarit Vergilius.—cuius de poetae tamen ingenio hic amplius eloqui desinam. nam haud honestum esse equidem duco non plurimis rebus ante dissertis de tanto talique 'uate' aliquod facere iudicium.—utcumque res sese habent, eam legere pergetis *Aeneida*, quam habetis, omnes qui aequo animo legere possitis, quod uobis magno est bono quodque iubet Virtus. qui autem sollertem rectumque pronuntiatum semper ametis quique integram uersuum recitationem clarosque uerborum sonitus paululo saltem malitis quam nil nisi sentestias quolibet modo intellegere, licet toti numero sitis exigui, uos tales non posse

crediderim quin tandem nouam nescioquam *Aeneida* ipsi scribere audaces temptetis. tum huius carminis sententiae, quippe quae sint longe nobilissimae, non sunt, ut liquet, mutandae. tantummodo uerborum mutatione plus minusue emendanda est nil nisi ars eius metrica. quae tamen emendata *Aeneis* nullis hominibus temere est monstranda neque cuiquam, qui uersus non bene recitet neque pares nobilibus sententiis artes uersificandi ipse umquam exoptet, ulla ex parte est legenda. ergo nostram *Aeneida* emendatam teneamus in loco quodam secluso absconditam metricorum arcanam ! hinc procul sunto homines profani ! —ipsine nos tamen, utpote qui rem nouiciam quamlibet bonam nos acturos dicamus aperte, animo debemus parati, simus licet insontes, ad hoc esse, ut nobis alii homines, qui res translaticias faciant plurimi, aliquid sint nocituri ? proinde ac si uel in barbaria uiuamas uel duce tyranno quodam ! felicissime contra his temporibus nostris hisque cultus circuitibus nostris, Musis iterum fauentibus est in hac re libertas, est artium bonarum perficiendarum libertas artium causa ipsarum, est nemo insanis exceptis hominibus qui hanc opprimere uelit libertatem. —iam igitur fortasse satis dictis eis rebus quas praefari oporteat, infra breuius, quam oportebit, tandem explicabo quidnam hic lecturi sitis, lectores mei, quanam de re agatur.

Primum ut generatim dicam, delectare debent omnia carmina. *Aeneis* uero sententiarum quidem diuinitate delectat, sonorum tamen asperitate eximia fastidium mouet. ideo emendauimus *Aeneida* hoc modo, ut lēuius lĕuiusque eadem sonaret. quod ut efficerem, operam in permutatione atque emendatione dedi rebus praesertim tribus his : —quamobrem uidete non modo quae sequuntur proxima, sed etiam **2.** (pp. 14 sqq.) et **3.** (pp. 18 sqq.)—

1

a) Vt numerus elisionum fieret quam minimus. quod ut uerbosius exponam : operam dedi ut euphoniae causa ne particulae encliticae quidem duae, uidelicet '-ne' et '-ue', una cum coniunctione 'siue', eliderentur. altera uero enclitica, nempe '-que', quae, ut ita dicam, pallida est et innocens (una cum ea particula copulatiua, quae est 'atque', quam poetae classici excepto Horatio uidentur maluisse elidere) a me quoque saepius quam rarius, i. e. septies et sexagies, sine tanta dubitatione est elisa.

Egro primum quoties haec uerba (seu particulae) elisa sint a Marone, uidere potestis in tabula hac :

'-que'	quater et quinquagies	
'atque'	undeuicies	(quarum elisionum mihi non pulchrae uidentur quattuor)
'-ne'	quinquies	
'-ue'	bis	
'siue'	semel	

deinde, id quod accedit, praeter ea uerba quae supra diximus, equidem omnino euitaui elisiones uerborum horum. —— quoties tamen a Marone elidantur eadem uerba, monstramus in tabula hac :

'iam'	:	bis	hae uero elisiones nimis esse rusticae, nimis rudes, nimis priscae uidentur.
'nam'	:	semel	
'tam'	:	semel	
'tu'	:	semel	
pronomina relatiua et pron. indefinita	:	ter	

'ille' et 'ipse' atque horum declinationes	:	undecies

Ego uero particulam 'atque' elisi sedecies, necnon 'neque' ter, 'namque' bis.—quae elisiones omnes, nec tamen ullae aliae, permissae sunto elisiones, quarum numerus in omni summa est '88'.—necnon ex integro animum attendite ad hoc: ex eis uerbis (siue particulis) quae a me sunt elisa, particula '-que' elisa est saepissime, i. e. septies et sexagies, quod iam in p. 5 diximus.

Ad hoc apud Maronem reperitur idem elisionum genus huiuscemodi, quod attentioribus lectoribus adiciendum uidetur:

'namque'	:	ter	
'neque'	:	ter	
'necdum'	:	semel	
'equidem'	:	semel	
'ante'	:	quater	(quas inuitus huc inicio)

b) A me autem elisae sunt etiam perpaucae uoces, in omni summa tantummodo DECEM, quae magno opere sunt significatiuae, quae fragilia et corrupta, mortua et moritura, fugitiua et fluxa, coniuncta et unita omnes fere significant, quippe quae tum, cum eliduntur, caudas quasdam amittant suas hisque amittendis uiuidius depingant tales res peculiares. qualia elisionibus illustrare, pictura scilicet rerum per uerba, in artium poeticarum est numero. quae artes tamen non clarescere possunt nisi in eorum uersuum serie, in quibus numquam incaute, numquam neglegenter, numquam temere elidatur. ineptorum ergo est, id quod est in promptu, in eis carminibus, quae nimis abundanter abutantur elisionibus, aliquid de qualibet elisione, tamquam magni esset momenti, disserere. haec est causa praecipua cur de

Aeneide nostra res nobiles canente elisiones sint demouendae, quantum possimus, plerumque inscitae horridaeque ; quamquam quaenam sint horridae, fieri potest ut diuersi grammatici quisque suo more iudicent diuerse.

Hae uero elisiones horridae quomodo tandem diffunduntur in unoquoque uersu hexametro Vergiliano ? quam diffusionem quo commodius possimus explanare, quibusdam uelim uti signis hoc modo confectis :



IP1 = internus pes primus
VP1 = ultimus pes primus
IP2 = internus pes secundus
VP2 = ultimus pes secundus
. . . . . .
. . . . . .

Sunt autem doctissimi uiri qui in Aeneide seu caesuras seu diaereses imprimis in VP2 conspici dicunt ibidemque solere elidi (VP2E), neque ullum poetam aut ante aut post Aeneida fecisse talem elisionem (VP2E), hanc uidelicet *Aeneidos* esse proprietatem ut plures quam cetera carmina aut VP2E habeat aut VP2C, (VP2C = ultimus pes secundus elisione carens simulque uero ipse caesuram faciens) eumque uatem, qui multas VP2E scripserit, consilio, non temere, hanc fecisse elisionem. quibus doctissimis colendissimisque uiris ego partim assentior, partim ab ipsis dissentio. quorum doctrina pertinet ad eas res similes, non tamen easdem, quas ego ipse iam pridem in seminario, cum orationem haberem de Vergilio, in-

stantissime explanabam : mea quidem sententia haec forma, quae est VP2E, quaeque, uelut aliud elisionum genus, permultas et graues horridasque facillime continere possit elisiones, re uera tamen uerti potest omnis siue in eam formam quae non est nisi VP2C quaeque tantum abest ut sit auersanda, ut etiam, si sollerter mutata, non numquam possit fieri perpulchra, siue in communem familiaremque neque umquam inusitatam illam hexametrorum formam quae in IP3 suam habeat caesuram. hoc quoque neglegendum non est, ut ego elisionibus non amplius decem grauioribus factis istarum tamen caesurarum, quarum forma est VP2C, tam magnum numerum contigerim quam quinquaginta unius (quaerite et dinumerate ipsi) : quas omnes caesuras (VP2C) ab altero simili ultimo pede secundo (VP2E) multum differre animaduertite ! hanc ' *Aeneidos* elisionem ' relictam teneo unam modo (u. 704). —— neque omnibus partibus recta esse mihi quidem uidetur haec docta disciplana, ut aut eam formam quae est VP2E aut eam VP2C Vergilius tantummodo in *Aeneide* maluerit. uerum sit in *Aeneide* maluisse manifestius, at ille huc propensior usque ab adulescente. nam is iam in *Bucolica* tam uersus sedecim huiusmodi (VP2E) :

florentem cytis(um) | et salices carpetis amaras (*Buc.* 1,78)

necte, Amarylli, mod(o) | et ' Veneris ' dic ' uincula necto ' (*Buc.* 8,78)

(addam) : insanumque for(um) | aut populi tabularia uidit (*Geo.* 2,502)

quam septendecim uersus metri huius (VP2C) :

diceret : ' haec mea | sunt ; ueteres migrate coloni ' (*Buc.* 9,4)

aut custos gregis | aut maturae uinitor uuae (*Buc.* 10,36)

(addam) : morborum quoque | te causas et signa docebo (*Geo.* 3,440)

scripserat. —— alios quoque poetas tales uersus (VP2C) scimus scripsisse :

dum pecori lupus | et nautis infestus Orion (Hor. *Epod.* 15,7)

usque adeo latet | utilitas!—iam tempora Titan (Ouid. *Met.* 6,438)

ulla mea est, uel | me uisendam mitte sorori (Ouid. *Met.* 6,441)

haec tamen hactenus. redeamus eo, unde digressi sumus. etiamsi haec est *Aeneidos* proprietas ut illas elisiones (VP2E) contineat multas, etiamsi easdem Maro scripsit consilio, id cui bono esse potest nobis, qui pulchrum poeticum atque nostra ipsorum uerba sublimia anquirimus poetae, non iam tantum rationem causamque elisionum philologi?

Tales tamen elisiones (VP2E) et permultas Maro utrum consilio fecerit necne, eloquetur me non tam garrulo, quae tolerabilibus exceptis nil nisi deformes foedasque continet elisiones, tabula haec:

(nam in Vergilianae *Aeneidos* libro primo tales elisiones inueniunter ex hoc modo:)

in IP1E	26 elisiones
in VP1E	63 el.
in IP2E	3 el.
in VP2E	61 el.
in IP3E	13 el.
in VP3E	10 el.
in IP4E	22 el.
in VP4E	7 el.
in IP5E	6 el.
in VP5E	3 el.

etenim si illarum elisionum (VP2E) opus est patrocinio, defendas necesse est etiam plures alias elisiones, praesertim VP1E. insuper alibi quoque adeo

taetrae reperiuntur elisiones pro quibus causam dicere sit difficillimum. utique esse uideamus has :

Ilium in Italiam ...	68	(I-ii-I.. : heu sacras terras sic uocat Iuno !)
defessi Aeneadae ...	157	(nimis miseri heroes)
remigio alarum ac Libyae ...	301	(non hoc modo uolat deus)
Europa atque Asia pulsus ...	385	(ingeni nimis expers)
tune ille Aeneas ...	617	(non pulchra foret Dido)
ut terrae utque nouae ...	298	(' ut uidi, ut perii ' *Buc.* 8,41)
quare agite, o tectis ...	627	(imitatio Catulli 64,372 ' quare agite optatos ')
nauibus (infandum) amissis ...	251	(cf. supra 301)
litora, multum ille et terris ...	3	(recitatio nimis difficilis)
ornatus Argiuae Helenae ...	650	(tironis elisio)
Italiam quaero patriam, et genus ...	380	(talia permulta)
fundamenta locant alii, immanisque ...	428	(talia permulta —— uocales eaedem permittuntur semper ?)
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli	30	(nimirum hexameter !)
progeniem sed enim Troiano a sanguine ...	19	(recitandum est, eheu, tamquam ' Troiana (f.) sanguine (m.) ' scriberetur)
Atridas Priamumque et saeuum ambobus Achillem	458	(quis intellegat ' saeuam bobus ' ?)

Troes te miseri, uentis maria omnia uecti	524	(tribrachys in hexametro ! - quo usque tandem abutere elisione ? cf. 32, 142, 429.—talium elisionum reperiri bonas equidem puto in uersibus his : 63, 158 petere et, 396 capere aut, 673, 676, 704, nec tamen uix usquam)
explorare nouos, quas uento acceserit oras	307	
per tot ducta uiros antiquā ăb origine gentis	642	(peior elisio quam supra 307 —— quales pessimae creberrimae)
artificumque manus inter sē operumque ...	455	(idem fere dicendum est)
frangitur inque sinus scindit sese unda ...	161	(nondum corrigitur uitium adulescentiae : *Buc.*3,66—sese offert)
iactemur doceas : ignarī hŏminumque ...	332	(cf. supra 455) (tune Catulli es discipulus ? nam ille ' odī ĕt amo ' 85,1)
omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos	599	(tu poeta magnus omnium egenus es uerborum)
et uera incessu patuit dea. ille ubi matrem	405	(quid, si quis ' illam ubi matrem ' scripturus erat ?)
at sperate deos memores fandi atque nefandi	543	(quid foedius esse potest ?)

Iam tandem intellegitis uersibus saepius fatales esse elisiones, quamquam aliae causae rationesque, ut infra uidebimus, uersuum nocent pul-

chritudini. elisiones igitur, quantum possumus, Nasone potius magistro euitandae sunt quam usurpandae. Maro autem elisiones, quantum potuit, ubicumque metricorum norma non prohibebatur, itaque non praecipue in VP2 tantum, quam maxime firmata cum audacia usurpauit. scimus sane eam rationem peritissimorum uirorum promptam, qua, cum recitatur, illas caudas alioquin elisas celeriter ac distincte pronuntiando ita conseruemus ut has caudas ex more elisas exaudire possint auscultatores. (audite Professoris D. ris Valahfridi Stroh phonocasetam subiunctam eiusdem Professoris libro '*Proben lateinischer Verskunst* —— ex Vniuersitate Monacensi, 1981 '). nihilominus nisi metri peritissimis uiris non facile erit tantas caudas, quae ex consuetudine omnino elidendae sunt in *Aeneide*, in recitatione perpetua cum cura sine ulla omissione distincte enuntiare omnes. quamobrem in *Aeneide* recitanda homines imperitiores de facto facere non possunt quin caudas sane nonnullas eorum uerborum, quae grauiter sint significatiua, inuitissimi ab horum uerborum partibus prioribus seiunctas demittant. quo fiat necesse est ut *Aeneis* Vergiliana, cum recitatur, claritate, limpitudine, nitiditate supra morem careat. quale carmen cur potest esse, quod quidem ad sonos enuntiatos sane attinet, omnino diuinum?

Quae cum ita sint, nos, quippe qui ex elisionum duobus generibus alterum iam primum dimittere potuimus (supra **1. a**), pp. 5 sq.), alterius generis (supra **1. b**), p. 6) numerum, numerum uidelicet plus minusue taetrarum elisionum, qui numerus fuit '256', deminuere, quantum potuimus, conabamur. quo conatu feliciter nobis contigit ut ex eo aceruo, quem **1. b**) uocamus, elisiones, ut dudum quoque diximus, non amplius decem sint relictae. iam non hirsuta est *Aeneis*. —— quae sint hae decem elisiones, hic

denuo monstramus in tabula noua hac :

u.25 necdum etiam
u.63 premere et
u.114 ante oculos
u.120 ualidam Ilionei (adnotata ad loc.)
u.164 nemore et
u.174 scintillam excudit (adnotata ad loc.)
u.260 magnanimum Aenean (adnotata ad loc.)
u.649 uelamina acantho
u.704 struere et
u.722 usque adeo

Adscribo ad postremum quibusnam pro portionibus elidatur aliis in carminibus paucis superadditis. quod hic monstramus numeris usi his : quotenos inter maximum minimumque elisionum numeros ubique eosdem in se habeant uersus centeni, undecumque hi centeni eliguntur :

	toti uersus	elisiones pro portionibus
Vergilianae *Aeneidos* Liber Primus	753	47.9 %
Verg. *Geo.* 2,458-542 (laudes agricolarum)	85	47.1
Verg. *Buc.* 1	83	20.5
Ouid. *Met.* 9,666-797 (Iphis)	132	18.2
Arituneanae *Aeneidos* Liber Primus	756	13.0

Restat ut ego ex animo Professori Doctori Valahfrido Stroh pro per-

multis et perspicacibus de arte metrica admonitionibus, quae mihi Monaci uersanti sunt ab ipso perhumaniter datae, ineffabiles agam gratias. uerum tamen, quae sunt recta, omnia eidem Professori, quae contra falsa, cuncta mihi sunt tribuenda.

2

Aeneida lĕuiorem leuioremque exoptantes nos iam pridem constituimus mutare. omnibus uero carminibus, quae lēuitatem lĕuitatemque sibi innatam sonare possint, opus est etiam paucitate longarum syllabarum siue multitudine breuium. ergo in *Aeneide* mutanda operam dedi ut in ea numerus pedum dactylicorum fieret quam maximus.

In hoc poeseos genere, quae effecerim, ea hic ante alia monstramus iuxta aduersusque Vergilium. nunc primum ' D ' esto pes dactylicus, ' S ' pes spondiacus. deinde uideamus, ut fieri solet, in uniuscuiusque uersus pedibus quattor prioribus quomodo disponantur D et S. atque ubi portiones uariae computantur, quia tres sunt uersus incohati in Vergiliana *Aeneide*, numerus, quo diuiditur, esto ' 753 (756-3) '. in *Aeneide* mea autem, quippe quae lacunas horum uersuum expleuerit omnes (534, 560, 636), numerus ille esto ' 756 '.

TABVLA PRIMA

Aeneis Vergiliana (753uu.)

(1)	DSSS	105uu.	= 13.94%	(summa) :
(2)	DDSS	98	13.01	
(3)	DSDS	82	10.88	

TABVLA SECVNDA

Aeneis Arituneana (756uu.)

(1)	DSDS	155uu.	= 20.50%	(summa) :
(2)	DDSS	140	18.52	
(3)	DDDS	111	14.68	

(4)	SDSS	73	9.69	555uu.=73.71%	(4)	DSDD	81	10.71	693uu.=91.67%
(5)	DDDS	52	6.90		(5)	DDSD	73	9.66	
(6)	SSDS	50	6.64		(6)	DSSD	63	8.33	
(7)	SDDS	48	6.38		(7)	DDDD	45	5.95	
(8)	SSSS	47	6.24		(8)	SDDS	25	3.31	
(9)	DSSD	40	5.31		(9)	DSSS	21	2.78	
(10)	DSDD	35	4.64		(10)	SDDD	15	1.98	
(11)	SDSD	30	3.98		(11)	SDSD	11	1.46	
(12)	DDSD	29	3.85		(12)	SSDD	7	0.93	
(13)	SSSD	26	3.45		(13)	SSDS	4	0.53	
(14)	SSDD	17	2.26		(14)	SDSS	3	0.40	
(15)	SDDD	12	1.59		(15)	SSSD	2	0.26	
(16)	DDDD	9	1.19		(16)	SSSS	0	0.00	

Hoc uero in Arituneana *Aeneide* est manifestissimum, ut ibidem ea pedum series quae est SSSS reperiantur nulla, uerum etiam priores quattuor pedes omnes fere (circiter 96 %≒100 %−3.97 %) aut duos aut supra duos contineant pedes dactylicos ; nam DSSS+SDSS+SSDS+SSSD=2.78 %+0.40 %+0.53 %+0.26 %=3.97 %. ergo hi plerique pedes quattor diuersi in sese aut 2D aut 3D habent aut, quod magni est momenti, 4D, cuius portio (5.95 % ut iam supra uidimus), si comparationis causa utimini tabula infra modo scripta, paene par est Ouidianae (6.69 % —— uidete infra in TAB. TERTIA figuram (8) DDDD).

Vtique ex itinere, quomodo in Ouidianis *Metamorphosesin* res se habeant, Professoris D. ris Villelmi S. Anderson libro ‘ *Ovid's Metamor-*

phoses, Books 6-10, 1972' (p. 25) transferendo hic notabo :

TABVLA TERTIA

Ouidi *Metamophoseon* Librorum 6-10

medius inter maximum minimumque numerus

(1)	DDSS	12.32 %
(2)	DSSS	11.72
(3)	DSSD	11.29
(4)	DDSD	11.14
(5)	DSDS	10.59
(6)	DDDS	9.38
(7)	DSDD	7.99
(8)	DDDD	6.69
(summa)		81.12 %

ceteras figuras siue formas, quarum frequentiae sunt minores, omisit Professor Villelmus S. Anderson.

Accedit igitur quod exceptis uersibus rarius apparentibus dimidiis *Aeneis* Arituneana figuras uersuum omnes fere habet in se ualde communes cum Ouidianis *Metamorphosesin* —— carmina duo non differunt inter se nisi his : Arituneana, quamquam continet, etsi paululo pauciores (3.31 %) sunt, eos uersus quorum figura est SDDS, caret certe, ut supra uidere possumus, illis uersibus quorum figura est DSSS, quique Nasoni mirabiliter magno sunt amori —— 11.72 %. —— necnon pedes quarti in *Aeneide* Aritunena tam fere frequenter sunt dactylici (DSDD+DDSD+DSSD+DDDD=34.64 %) quam in Ouidianis uersibus (DSSD+DDSD+DSDD+DDDD=37.11 %), quales pedes non Vergilianae *Aeneidos* inueniuntur nisi in dimidiis uersuum generibus rarius apparentibus octo. quae res quoque una cum aliis causis multis Vergilianam *Aeneida* efficit totam grauisonam, praesertim cum hac

causa, ut in primorum pedum omnium aliquibus quadraginta centesimis (40.23 %=in TABVLA PRIMA : (4)+(6)+(7)+(8)+(11)+(13)+(14)+(15)), in frequentiorum quoque dimidiorum uersuum (quorum figurae sunt (4) SDSS et (6) SSDS et (7) SDDS et (8) SSSS) totidem fere pedibus primis (39.28 %= (9.69 %+6.64 %+6.38 %+6.24 %)×100 %÷73.71 %) appareat S. ex contrario tamen et in Arituneanis uersibus et in Ouidianis quotiens tandem S appareat in pede primo, dicam non oportere uidetur. utique hic apparentium pedum spondiacorum paucitati magno opere attribuendam esse in promptu est amborum uersuum lĕuitatem ac lēuitatem.

Quin etiam maximi est momenti medium pedum dactylicorum inter maximum minimumque numerum indagare nonnullis in carminibus adiectis : quod quoque hic iam eadem ratione, atque ubi elisionum numeros supra monstrauimus (p. 13), uolo infra indicare :

	(toti uersus)	(pedum dactylicorum (D) numerus in unoquoque uersu)
Vergilianae *Aeneidos* Liber Primus	(753)	2.73 D
Verg. *Geo.* 2,458-542 (laudes agricolarum)	(85)	2.75 D
Verg. *Buc.* 1	(83)	2.86 D
Ouid. *Met.* 9,666-797 (Iphis)	(132)	3.29 D
Arituneanae *Aeneidos* Liber Primus	(756)	3.45 D

haec tabula, quae iam tum, cum, quomodo D et S disponerentur (DSDS,

DDSS ...) uidimus, quamquam nec plane sensa nec clare percepta est, illi tabulae innata secreto parabatur. nunc autem immobilissimum testimonium et insuperabilissimum adest ipsum nobis, quo testimonio fulti possimus demonstrare illam susceptionem fauste euenisse nostram : Vergilianam *Aeneida*, quantum possimus, imprimis arte metrica Ouidiana utenda ab integro quam elegantissime perficiendam. —— ' at cur ' inquiet aliquis ' ita faciendum est ? ' de hac re aliquid postea quoque dicemus. in praesentia uos, lectores mei, hunc unum animaduertite uersum : ' at regina graui iamdudum saucia cura '. licet regina tum sit tristissima, num tamen etiam Musae eam tam tristibus tamque grauibus cantent oportet uerbis (SDSS) ? etenim ipsa contraria fieri iubet gustatus noster : res licet sit tristis, at res ac tristitia pariter atque aeque ac laetitia hilaritasue ab aeternis Musis semper eadem uoce lēuissima canatur oportet, hoc tametsi non possunt mortales. ipsae supernaturales rebus non intersunt Musae. quod prosperrime Nasoni iam in suis *Heroisin* contigisse scimus omnes, quem poeseos gustatum nos docuerunt duo uates, Flaccus (lyricus) et Naso, quorum poeseos mentem atque habitum, ut liquet, adhuc ignorauit Maro.

Iam propinqua uictoria. sed ante uictoriae clamores est quod designetur oporteat.

3

Vitemus, exceptis rebus dicendis ualde peculiaribus, ne spondiaca sint ea uerba, quae in uersuum initia imponantur.

Cur ego uero uersum 728 (' hic regina grauem gemmis auroque poposcit ') non mutaui ? mente sum gemina, haud simplex sed multiplex.

mutationis amans cupiebam simul aliquid odoris Vergiliani relictum tenere. omnia si mutassem, omnibus partibus non uisus essem Vergilius alter ; quem aemularer, cui aequiperarer, quocum familiariter iocarer, iam haberem neminem. mea quoque *Aeneis*, quae Vergilium amicum facere uoluit honorabiliorem etiam, iam legeretur a nullo. si quis ergo forte Vergilium deleret, simul etiam me deberet delere. nam quis strenuus sine aemulatore optimo posset iam diutius uiuere ? —— quae cum ita putarem, hunc uersum, hanc figuram (SDSS), quae nostro uati magno fuisse uidetur amori, sponte mea reliqui. nam recordabimini ab integro uersum illum, ' at regina graui iamdudum saucia cura ', deinde illos geminos SDSS—qui nisi essent pulchri, ubinam gentium sunt pulchra ?—

et iam summa procul uillarum culmina fumant
maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

quibus in tribus uersibus uatis nostri uiuere et faciem et dextram et spiritum ipse penitus sentio. ergo conseruaui. tamen res se multo aliter habere uidentur in uersibus his :

primus se Danaum magna comitante caterua	2,370
saltem si qua mihi de te suscepta fuisset	4,327
linquens multa metu cunctantem et multa parantem	4,390
scindit se nubes et in aethera purgat apertum	1,587

hic uerbum spondiacum in initium impositum magna ex parte propterea resoluit unitum uersum rhythmumque dactylicum, quod id uerbum spondiacum per se nihil praedicit quod sequatur, atque sic partem sequentem de integro post se incipere ueluti ab hexametri initio cogit, tamquam noui uersus a ' se ' inciperent — ' se Danaum ..(— ∪ ∪ —...) ' uel ' se nubes ..

(— — —...) ', —— atque haec pars sequens, utpote cui primus pes iam desit, non iam necesse esset hexametri putaretur pars sed nil nisi ' pentameter ' modi singularis uel, ut ita dicam, ' hexameter ' amputatus. ex contrario hercule in uersibus his :

omnia tuta uides, classem sociosque receptos 1,583

uerbaque nec placidam membris dat cura quietem 4,5

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi *Buc.* 1,1

uerbum dactylicum in initium impositum neque uersuum rhythmum dactylicum neque hexametri unitatem ullo modo disturbat, cuius rei expositione non opus esse uidetur. necnon et tum, cum uersus incipient ab eis uerbis quae sunt uel ' at regina ... ' uel ' luctantis uentos ... ' (1, 53), nulla exsistet incommoditas. hic enim uel illud uerbum primum (' luctantis ') uel illa uerborum congeries (' at regina ') proximis cum uerbis potest facillime maximeque naturaliter coalescere. nil nisi igitur uerbum spondiacum, cum in hoc loco ponitur, terribilem adfert difficultatem ad *μετρικῶς* ordinandum, quod uitium Maro usque ab adulescentia non potuit animaduertere.

nam,

urbem quam dicunt Romam, Meliboee, putaui *Buc.*1,19

urbem Troianam primum dulcisque meorum 4,342

casu deinde uiri tanto, et sic ore locuta est 1,614

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo *Buc.* 4,57

quid his uerbis spondiacis mihi quidem potest esse monstruosius ? uerum in suae *Aeneidos* Libro Primo tamen uates noster scribit saepius iusto uiginti quattuor monstruosa ! quorum uiginti tria deleui insolenter iratus. unum tantum (423 ' instant '), ut uiderer clemens censor, reliqui. quin etiam

uersum 686 scribere statui ' inter regalis ... ' : haec enim praepositio, quae est ' inter ' in initio posita, quamque sequitur consonans, reperiri non numquam potest apud Nasonem. quibus in tantummodo duobus locis (423 et 686) prorsus in uersuum initiis ausus sum ponere uerba spondiaca, et quidem haud parem in morem in quem Maro, sed omnibus partibus ego consilio consultoque, neque ullo modo ex impolitia ignorantiaque.

CONCLVSIO

Quod efficere a principio cupiebam, ut *Aeneida* lĕuius lēuiusque sonantem exigerem, id iam tandem perfectum mecum habeo atque uobis, lectores mei lectricesque maxime honorabiles, infra uelim monstrare. Vergilius quoque tandem aliquando renatus est poeta pulcherrimus, de quo iam non opus est ea interrogatione Macrobiana, quaecumque re haec erat, utrum orator ille sit an poeta. cecinit Naso de Ennio : ' sumpserit Annales (nihil est hirsutius illis) ' (*Tr*. 2,259) ; dicat tamen nemo : ' sumpta sit Aeneis (nihil est hirsutius illa) '. iudicium fecit Naso aptissimum : ' Ennius ingenio maximus, arte rudis ' (*Tr*. 2,424) ; dicat tamen nemo iocose imitando de Marone : ' rusticus aspectu maximus, arte rudis '. Maro enim iam omnem deposuit artem rudem. nam, ut, quas res antea uerbosius exposui, eas quam paucissimis uerbis denotem, aliis quoque rebus additis :

(1) Qui poeta elidat particulas encliticas ' -ne ' et ' -ue ', eum equidem sentio esse hirsutum ; quamquam elidit rarissime et ' -ne ' et ' -ue ' et ' siue ' Naso. factus est igitur etiam Nasone comptior nouae *Aeneidos* auctor.

(2) Elidi, ut generatim atque uniuerse loquar, in noua *Aeneide* haud paulo rarius (13.0 %) quam in Nasonis *Metamorphosesin,* in quarum parte saltem

quadam elidi frequentius (18.2 %) uiderimus supra (p. 13), nos dicere optimo iure speramus posse.

(3) Poeta noster iam iamque renatus pulcher quidam in hexametris componendis multo minus Maroni similis (siue minus Vergilianus) uidetur quam Naso. ut exemplum ponam, ea uersuum figura, quae est DSSS, a Vergilio ceteris figuris anteponitur (13.94 % u. supra pp. 14 sq.). eadem autem Nasoni nullo est odio sed, quod ualde mirabile est, secundario amori (11.72 %). haec uero a poeta iam renato quam ualde uitatur (2.78 %)! qui haud scio an Ouidio ipso sit Ouidianior; quod demonstrare uidetur pedum dactylicorum in unoquoque uersu numerus pro portione dictus (3.45 D).

(4) Quod attinet ad hiatum, Vergilianum, qui est in uersu 405, mihi quidem pulcherrimum, relinqui cupieram; tamen uerbo postero mutato ('ille'→ 'mater') ibi me inuito periit ultro hiatus. ex contrario in uersu 16 hiatus mihi uisus est eundem uersum facere aliquatenus hirsutum; ideo hunc praecidi.

(5) De synizesi quoque mentio uidetur facienda. et in uersu 698 ('aureā') et in uersu 726 ('aureīs'), quamquam hoc uerbum, quod est 'aureus', interdum facile accipere et recipere cognoram synizesin, at talem uero rem idcirco uitaui insolitam, ut asperitatem meo ex carmine cunctam, si possem, expellerem. porro, quod ad uersum 2 attinet, et 'Lauina' (Hirtzel) et 'Lauinia' (Mynors) placuerunt mihi. in carminis igitur principio temporibus modo recentioribus, itaque Professori Mynors, malui cedere. nouam autem synizesin excogitaui elato in uersu 709. nam ibi se esse simulat Amor deus Ascanium, quam simulationem uolui interpretari ac depingere per synizesin eius uerbi quod est 'Iulum'. hic disyllabus est.

Attamen, iamne ego expulsi in arte metrica Vergilianos colores omnes? minime hercule uero. primum uidelicet nonnullos uersus, qui '*Aeneidos* caesuras (VP2C)' continent, relictos teneo, dummodo sint pulchri, —— nec me de hac causa umquam culpandum credo, —— quales versus, cum huius prooemii legetis finem, iterum recordabimini. antea uero nunc ipsum de uersuum posterioribus partibus dicendum est mihi paucis. apud Vergilium ii uersus inueniuntur iusto plures (undenonaginta uersus in omni summa), quorum forma est haec:



ut ponam exempla:

138 (sae)|5 uumque ∪ | 6 — —

162 (gemi)|5 nique ∪ | 6 — —

598 (ter)|5 raeque ∪ | 6 — ∪

713 (ardes)|5 citque ∪ | 6 — —

noua *Aeneis* etiam, etsi pauciores sunt, at tales itidem uersus, scilicet quinquaginta tres uersus, continet quorum forma eadem est; quorum uersuum tamen triginta unus certissime modo multum modo paulum differunt ab Vergilianis. hi ergo omnes, cum recitantur (nam, ubi recta et pulchra recitatio est nulla, ibi exsistit huiusce temptationis nihil ibique ea est

minimi!), propter eundem particulae '-que' locum eodem uel saltem simillimo modo sonant. qua in re audientibus patet nouam ueteris esse subolem.

Ad extremum uero mihi paucis est dicendum, ars quomodo ad naturam pertineat. Naso canit diuinus: 'ars adeo latet arte sua' (*Met.* 10,252). etiam. recedendumne igitur est arte utentibus mox omnino coactu in naturam potentissimam? uel, estne artium ita nulla nisi deterior quam natura? minime hercule uero. etenim ea ars Pygmalionis, id quod canit Naso, tandem effecit ut ex ebore mortuo fieret corpus in quo salirent uenae, fieret uera femina, fieret uere pulchra femina ea mirabili forma, qua naturales feminae nasci possent nullae; quam Pygmalion rex pace Veneris deae, ut decuit, in matrimonium duxit. quod hic est ebur lapideum, id nobis uerbum est cottidianum, id apud nos est genus dicendi naturale, ea aliis uerbis lingua uulgaris siue naturalis, siue eae uoces naturaliter enuntiatae quae necessariae sunt ad cottidianam uitam. qualis ipsa erat apud Romanos illa lingua Latina, praesertim eorum oratio soluta. attendite tamen! quam copiosa, quam opulenta eis uerbis est lingua Latina, quorum syllabae omnes fere sunt longae! "festina lente" (— — — — —). etiam ea uerba, quae non ita sunt, breues syllabas in sese rariter modo hic modo illic habent. nunc igitur ille locus notissimus quomodo se in hac re habeat, uideamus multis hiatibus usi unumquodque uerbum saepe utrimque diuidentibus (praeter id uerbum quod est '(e)st'), nil nisi breuibus notatis syllabis:

Gal-li-a(e)st omnis diui-sa in partis tris, quarum unam in-co-lunt Belgae, a-li-am A-quitani, ter-ti-am qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. hi omnes lingua, ins-ti-tutis, le-gi-bus inter se dif-fe-runt.

(breues sunt syllabae in summa tantummodo decem!)

quae ipsa est natura linguae Latinae. qua lingua uersus hexametros scribere, etiam uersus Vergilianos qui dactylos continent plerumque binos tantum (DSSS, SDSS, ...), quam fuit difficile! nimirum ergo diuinus poeta hominibus erat Vergilius. interim tamen diuinitas poetica conspici desita est celerius opinione hominum in Vergiliana arte metrica. nam ardentissime legi mox coepta sunt carmina Ouidiana illa. etenim una cum temporibus uelocissime permutata esse uidetur grammaticorum praepositio poetica. —— quam praepositionis mutationem breuiter designat etiam Professor Anderson (*op. cit.* p. 25) utendis uerbis Anglicis ' change of preference '.—praeterea cur immutabilis perlegi postea nihilominus sic perrectus sit Maro, uolo hic tacere.—cuius rei nouae fuisse causam censeo hanc : iam nimis naturalis duci coepit Vergiliana ars metrica ; atque ars iam non Pygmalionis, non ergo quadamtenus humana, sed multo diuinior quaedam iam exoptari est coepta. euocatae sunt Musae sua ex uera sede, Nasonique euocatae aderant uersificanti, quo ex tempore factum est ut artem metricam animaduerterit excultissimam genus humanum, ut uero eandem non didicissent nisi ii homines ingeniosissimi, quibus arrisissent proinde Musae ipsae atque Venus Pygmalioni et dea illius uirginis coniugio aderat libentissima : quo fauore diuino, neque ullis causis aliis, coniunx illa post gignere potuit paruulam. necnon primum quoque miraculum, primam quoque eboris mutationem in feminam, praebuerat Venus dea laetata. sic gradatim tantum, non similiter ac subitaneum Iouis fulmen, primum rerum suarum minores, postremum uero maxime mirabiles efficere solet numen, neque cuncta dedit hominibus numen simul. utique intra humani generis historiam scalis ascendentes maluisse uidentur quam se spumiferas as-

silientes ostendere Musae. semper tamen factum esse hoc unum constat : usque a principio Enniano Romanos poetas comitabantur auxiliatrices Musae, quae tamen diuitias artium suarum eis non donabant nisi paulatim : unde poetarum cum diuinitas tum diuersitas. poetae alii lingua plerumque potius uulgari quam sublimi, etsi carmen inimitabile tali lingua scripsit, poetabantur. alii suo defectu poetico tortisque lectorum moribus laborantes eorumque inscii carmina pangere pergebant prisca, alii nimio ingenio praediti contrarium carminis genus, ueluti nos orationem solutam, facillime componebant. ubique fere autem ante oculos mortalium non ex toto exstiterunt Musarum spiritus ; sed semper ex parte tantum etiam atque etiam superabat ars poetica Musis iuuantibus illam naturam quam supra diximus. —— attendite tamen ! carmen epicum, si cupit esse quam perfectissimum, seiungi debet in quandam sublimitatem quam remotissimam a genere dicendi cottidiano siue naturali : idem ergo synizeses et hiatus et elisiones et syllabas longas, quae omnes mehercule sunt cottidianae, quam minimas oportet contineat. eadem fere haec subicit etiam Professor Doctor Dauid O. Ross in suo libro (pp. 119 sq.), cui titulus est Anglice ' *Style and Tradition in Catullus,* 1969 '. addite quod Maronis, sicuti aliorum, laus propterea numquam potest peruenire ad summam quia Musarum spiritus ei numquam ex toto dantur. iam tandem omnibus in promptu manifestumque est opera dedita quam optimam *Aeneidos* emendationem suscipere uel summa ope nitentes *Aeneida* emendare iam esse nostrum posterorum maximum officium. quod nisi perficeremus, haud immortalis esse pergeret tam Latinitas ipsa quam *Aeneis* nostra. huic enim re uera non deese mementote uersus perpulchros hos :

tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas 205

aeternis regis imperiis et fulmine terres 230

Harpalyce uolucremque fuga praeuertitur Hebrum 317

Punica regna uides, Tyrios et Agenoris urbem 338

miratur, uidet Iliacas ex ordine pugnas 456

quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis 661

Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura 678

dant manibus famuli lymphas Cereremque canistris 701

pulchri tamen tales uersus mea quidem sententia non amplius sunt in omni summa quinquaginta. qui numerus eheu nimis uidetur paruus ; atque etiam hi plerisque uersibus circumdati deformibus ac taetris miserabiliter coguntur suum perdere splendorem. hinc quoque dicere possumus sermone naturali siue eo genere dicendi cottidiano, quod orationem quoque solutam in potestate habeat, quodque nos in poetando facere soleat tirones, omni modo liberari atque omnia terrestria nunc superstare nunc, ut alitem, superuolitare non potuisse Vergilium.

Post Maronem obitum ego, id quod Fama susurrat, in orbe terrarum solus esse dicor qui audax *Aeneida* temptauerim emendare. hanc igitur emedatam, si qui uultis, perlegite ac me ea monete quae sentietis. quibus sic facturis iam nunc summas pro beneuolentia eximia amicitiaque peculiari ago gratias. ualete !

HINC INCIPIT *AENEIDOS* LIBER PRIMVS

AB ARITVNEO MIZVNO POETA EMENDATVS

ARMA uirumque cano, Phrygiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lauiniaque uenit
litora, quique nimis terra iactatus et alto
ui superum, saeuae memorem Iunonis ob iram,
5 multaque passus erat bello, dum conderet urbem
inferretque deos Latio ; genus unde Latinum
Albanique patres, altae quoque moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
quidue dolens regina deum tot uoluere casus
10 insignem pietate uirum, tot adire labores
impulerit. tantumne furunt sibi caelitis irae ?
Vrbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Karthago, Siculos contra Tiberinaque longe
ostia, diues opum studiisque asperrima belli,
15 quam Iuno perhibetur humis magis omnibus unam
posthabitis coluisse Samis. hic illius arma,
hic currus fuit ; hoc regnum dea gentibus esse,

---

u. 7 " altae quoque... " quia conditam iam esse Romam non canit *Aeneis,* id licet identidem uaticinetur. u. 16 " Samis " pluraliter sicut apud Nasonem semper fere ' Capitolia ', ac de hiatu Vergiliano uidete prooemium (p. 22).

si modo fata sinant, iam tum tenditque fouetque.
progeniem sed enim, quae Troas origine, duci
20 audierat Tyrias olim quae uerteret arces;
hinc populum populis regem belloque superbum
adfore pernicie Libyae; sic uoluere Parcas.
id metuens ueterisque memor Saturnia belli,
prima quod ad Troiam, coleret quo, gesserat, Argos—
25 necdum etiam, quibus irata est, saeuique dolores
exciderant animo; manet alta mente repostum
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae,
quodque odio genus, et rapti Ganymedis honores:
his accensa super pressos maris undique tractu,
30 qui Danaum fugere manus et atrocis Achilli,
arcuerat procul hos Latio: multosque per annos
Troes agebantur, fati reus, aequora circum.
molis et error erat Romanosque edere tantae.
Vix procul hi Sicula laeti tellure per altum
35 uela dabant spumasque simul salis aere ruebant,
cum dea perpetuo secum fera uulnere mentis
talia: 'mene diu coeptum desistere uictam,
posse neque Italia Troum deuertere regem!
quippe uetor fatis. Pallasne perurere classem

---

u. 22 " pernicie " forma uetus datiui, cf. A. Gellii *Noct. Att.* 9, 14, 21sq. (quod ad genetiuum ueterem attinet, uidete infra u. 636 " dii ".).

40 et Phrygia reduces potuit summergere ponto
unius ob noxam furiasque Aiacis Oilei ?
ipsa Iouis rapidum iaculans e nubibus ignem
prorueratque rates uentisque euerterat aequor,
hunc et, ut igne ferit, hic ut exspirauerat ignis,
45 turbine corripuit scopuloque infixit acuto ;
ast ego, summa deum gradiens grauitate Iouisque
et soror et coniunx, generi tot, et unius, annos
bella gero. miserae quisquam mihi numen adorat
posterus aut arae supplex imponet honorem ? '
50 Talia flammifero secum dea corde uolutans
in patriam nimbi, loca feta furentibus Austris,
Aeoliam uenit. hic gelido deus Aeolus antro
luctantis uentos celeris hiemesque sonoras
imperio premit ac pedicis et carcere frenat.
55 hi stomachantur eo : furiali murmure circum
claustra fremunt montis ; supera sedet Aeolus arce
sceptra tenens moderatque animos et temperat iras.
ni faciat, fretaque et terras caelumque profundum
quippe ferant rapidi secum uerrantque per auras ;
60 sed pater omnipotens atro procul abdidit antro
hoc metuens molemque et montis insuper altos
imposuit, regemque dedit qui foedere certo
et premere et laxas posset dare iussus habenas.
ut uenit huc, pariter Iuno uafra supplicat ipsi :

65 ‘Aeole (namque tibi diuum pater atque hominum rex
uel mulcere dedit pelagus uel tollere uento),
gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aequor
Ilion ad Latium rapiens humilisque penatis:
incute uim uentis: Aquilonibus obrue puppis,
70 aut age diuersos et dissice corpora ponto.
quattuor atque decem praestanti corpore Nymphae
sunt mihi: quae generis pulcherrima Deiopea,
conubio iungam stabili propriamque dicabo,
iuncta tot ut tecum meritis pro talibus annos
75 exigat et pulchra faciat te prole parentem.’
Aeolus haec contra: ‘tuus, o regina, quid optes,
quaerere mente labor; mihi iussa capessere fas est.
tu mihi quidquid adest regni, tu sceptra Iouemque
concilias, tu das epulis accumbere diuum,
80 tu nebulaeque facis nimbique hiemisque potentem.’
Haec ubi dicta, cauum conuersa cuspide montem
impulit in latus; ac uenti uelut agmine facto,
qua data porta, ruunt atque omnia turbine perflant.
incubuere mari: quot habet mare, sedibus imis
85 tot Zephyrusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et uastis quatiunt loca litoris undis.
insequitur clamorque uirum stridorque rudentum;
eripiunt subito nubes caelumque diemque
omnibus ex oculis; pelago nox incubat atro;

90 intonuere poli : celeber micat ignibus aether
adueniensque uiros monuerunt omnia letum.
protinus Aeneae stupefiunt frigore membra ;
ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas
talia uoce refert : ' o terque quaterque beati,
95 ante patres quibus Iliadum sub moenibus altis
contigerat mors ! o Danaum fortissime gentis
Tydide ! miserumne mori me Troade terra
non potuisse tuaque animas effundere dextra !
o ubi Pelide iacet Hector saeuus, et ingens
100 Sarpedon, ubi tot Simois sibi rapta sub undis
scuta uirum galeasque et fortia corpora uoluit ! '
Talia iactanti strepitans Aquilone procella
uela ferit prorsus, fluctus et ad aethera tollit.
frangitur et remus, prorae uertuntur et undis
105 dant latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
fluctibus hi summis trepidant ; his unda dehiscens
inter aquam terras aperit, furit aestus harenis.
tris Notus abreptas in saxa latentia torquet
(saxa uocant Itali mediis in fluctibus Aras,
110 saxea dorsa, minas pelagi), tris Eurus ab alto
truserat in breuium syrtis, miserabile uisu :
inicit hasce uadis et in aggere claudit harenae.
quae Lycios nauis fidumque uehebat Oronten,
ipsius ante oculos uehemens a uertice pontus

115 in puppim ferit : excutitur pronusque magister
uoluitur in caput, atque ratem modo fluctus ibidem
torquet agens quater et rapidus uorat aequore uertex.
inuenias raros nantis in gurgite uasto,
arma uirum tabulasque et in aequore Troada gazam.
120 nunc ualidam Ilionei nauem, modo fortis Achatae,
et qua uectus Abas, et qua ueteratus Aletes,
uincit hiems ; laxis laterum compagibus omnes
accipiunt aliena salis rimisque fatiscunt.
Interea magno furibundum murmure sensit,
125 edita quod sit hiems, pontum Neptunus et imis
stagna refusa uadis, grauiter commotus, et alto
prospiciens summa placidum caput extulit unda.
partibus Aeneadas positos uidet omnibus omnis :
fluctibus hic domitos tot Troas et aethere rupto ;
130 nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Eure, tuos Zephyrosque uocat sibi : fatur ad illos :
'Tantane uos generis tenuit fiducia uestri ?
aethera iam terramque meo sine numine, uenti,
uertitis audetisque feras ibi tollere moles ?
135 quos ego——sed tumidos satius componere fluctus.
post mihi non simili poena malefacta luetis.
uos properate fugam regique haec dicite uestro :

---

u. 120 " ualidam " eliditur quia nauis iam non est ualida.

imperium maris haud illi tumidumque tridentem,
sed mihi sorte datum. tenet ille cauatica saxa,
140 Eure, domos uestras ; illa dominetur in aula
Aeolus et potior uentorum carcere regnet.'
Dixerat, et dicto citius freta taetra peraequat :
nubila lecta fugat simul et te, Phoebe, reducit.
Cymothoe simul et Triton ibi fortis acuto
145 detrudunt classem scopulo ; leuat ipse tridenti
et grauidas aperit syrtis et temperat aequor
atque rotis summas leuibus perlabitur undas.
ac uelut in gregibus populi cum saepe coorta est
seditio saeuitque animis ignobile uulgus
150 iamque faces lapidesque uolant, furor arma ministrat ;
tum, meritisque pioque grauem si forte uirum quem
conspexere, silent arrectisque auribus astant ;
ille regit monitis animos animosaque mulcet :
sic pelagi cunctus cecidit fragor, aequora postquam
155 prospiciens genitor caeloque, ut equester, aperto
flectit equos rotulaeque uolans dat lora secundae.
Aeneadum petiere rates iam proxima nixae
litora defessae Libycasque feruntur ad oras.
est in secessu longo locus : insula portum
160 efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
frangitur inque sinus se ruperat unda reductos.
hinc atque hinc ualidae rupes geminique minantur

in superum scopuli, quorum sub uertice late
aequora tuta silent ; nemore et tum scaena corusco
165 desuper, horrentique nigrum nemus imminet umbra.
fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum ;
intus aquae dulces uiuoque sedilia saxo,
Naiadum domus. hic sale fessas uincula nauis
nulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
170 nauibus huc lectis septem Cythereius heros
in numero subit, atque auido telluris amore
desiliunt, ibidem potiuntur Troes harena
et sale tabentes sua litore corpora ponunt.
ac simul e silici scintillam excudit Achates,
175 succipit hinc ignem foliis atque arida circum
nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.
inde salo ruptam Cererem Cerealiaque arma
omnibus expediunt fessi, frugesque receptas
ignibus et torrere parant et frangere saxo.
180 Interea scopulos Aeneas scandit, et omne
ut mare prospiciat late, cupit, Anthea si quem
contremulum uento uideat Phrygiasque biremis
aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici.
nulla ratis uisa est oculis, tris litore ceruos
185 prospicit errantis ; armentaque tota sequuntur

---

u. 174 " scintillam " eliditur quia puncto temporis exstinguitur ipsa. " silici " abl.

hosce duces : in ualle morans ibi pascitur agmen.
constitit hic arcumque manu celerisque sagittas
corripuit, fidus quae tela gerebat Achates ;
quemque ducum primo, fert qui caput altius ipse
190 cornibus arboreis, caedit, tum uulgus et omnem
miscet agens telis inter nemus undique turbam ;
nec prius abstiterat quam septem maxima uictor
corpora fundat humi, numero quae nauibus aequa ;
inde petit portum sociisque dat omne paratus.
195 uina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros
diuidit, et dictis maerentia pectora mulcet :
' O socii (tot enim memores sumus ante malorum :
fertis et o grauiora), dabit deus his quoque finem.
200 uos rabiem namque et Scyllae penitusque sonantis
accestis scopulos, uos namque Cyclopia saxa
experti : reuocate fidem maestumque timorem
mittite ; forsan et haec alias meminisse iuuabit.
per uarios casus agitati cardine rerum
205 tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
condiderunt ; illic fas regna resurgere Troiae.
res tolerate, uiri : res exspectate secundas.'
Talia uoce refert curisque ingentibus aeger
spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.
210 praeda dapesque, aliis accingitur, inde futurae :

tergora diripiunt costis et uiscera nudant ;
hinc in frusta secant ueribusque trementia figunt,
ignis ad aera ministratur modo litore posta.
incipiunt : redit ille uigor, fusosque per herbam
215 se saturant ueteri Baccho pinguique ferina.
cumque epulis exempta fames mensaeque remotae,
heu socios, ubi sic absint hinc, usque requirunt,
spemque metumque inter dubii, seu uiuere credant
siue suprema pati neque eos audire uocatos.
220 praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti,
nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
despiciens mare ueliuolum terrasque iacentis
225 litoraque et late populos, sic uertice caeli
constitit et Libyae defixit lumina regnis ;
qualiter hunc uarias iactantem pectore curas
tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
adloquitur Venus : ' o qui res hominumque deumque
230 aeternis regis imperiis et fulmine terres,
quid meus Aeneas in te male condere tantum,
quid Phrygii potuere, quibus tot funera passis
cunctus ob Italiam claudatur, ut aspicis, orbis ?
tu mihi Romanos alias uoluentibus annis,
235 hinc fore ductores, reuocato sanguine Teucri,

qui mare, qui terras generum dicione tenerent,
pollicitus——quae te, genitor, sententia uertit?
hoc equidem casus Troiae tristisque ruinas
solor adhuc fatis contraria fata rependens;
240 nunc eadem fortuna uiros tot casibus actos
insequitur. tibi quis finis placet, alte, laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
regna Liburna tamen, superauit ut ora Timaui:
245 oribus ille nouem uasto cum murmure montis
it, mare proruptum, pelago premit arua sonanti.
post tamen hic urbem Pataui sedesque locauit
Teucrorum nomenque suis dedit armaque fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit:
250 nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
nauibus, o pater, amissis unius ob iram
prodimur atque Italis longe disiungimur oris.
hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?'
Huic hominum sator et diuum subrisit, Olympum
255 qua facie uultuque hiemes imbrisque serenat:
oscula libauit Veneris, tum talia fatur:
'parce metu, Cytherea, manent immota tuorum
fata tibi; cernes urbemque et dicta Lauini
moenia, sublimemque feres ad sidera caeli

u. 260 " magnanimum " eliditur quia iam tunc Aeneae corpus moritur animo

260 magnanimum Aenean ; neque me sententia uertit.
hic tibi (fabor enim, quod ab hoc te cura remordet,
longius, et fati capiens arcana mouebo)
bella geret trux Italia populosque ferocis
contuderit moresque uiris et moenia ponet,
265 tertia dum Latio regnantem uiderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
at puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
prosperus (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
bis tria lustra tenens uoluendis mensibus urbis
270 imperium peraget, regnumque ab sede Lauini
transferet, et Longam iuuenum ui muniet Albam.
inde ter hic centum stabili regnabitur annos
gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
275 tumque lupae fului tam tegminis ubere laetus
Romulus excipiet gentem, tum Martia condet
moenia Romanosque suo de nomine dicet.
his ego nec metas rerum nec tempora pono :
imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,
280 quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
in melius mentem referet, mecumque fouebit
Romanos, populis dominum gentemque togatam.
sic placitum. ueniet lustris labentibus aetas

---

quendam in modum mutato.

cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas
285 seruitio premet ac uictis dominabitur Argis.
exoritur decori Troianus origine Caesar,
Oceano finis, qui nomina terminet astris,
Iulius, a ueteri demissum lumen Iulo.
hunc etiam caelo spoliis Orientis onustum
290 accipies secura ; uocabitur hic quoque uotis.
aspera tum positis mitescent saecula bellis :
cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
iura dabunt ; dirae ferro compagineque arta
claudentur Belli portae ; Furor impius intus
295 arma sedens super, innumeris nunc uinctus aënis
post tergum nodis fremet horridus ore cruento.'
Dixerat et Maia genitum demittit ab alto,
ut pateant locaque atque nouae Karthaginis arces
hospitio Phrygiis, quia fati nescia Dido
300 finibus arceret. uolat ille per aëra magnum
remigio pennis : Libyae citus astitit oris.
iamque facit iussum, ponuntque ferocia Poeni
corda uolente deo ; celeris regina quietum
accipit in Phrygios animum mentemque benignam.
305 Nocte uigil pius Aeneas et plurima uoluens,
alma data est ut lux primum, loca quaerere fortis,
quae noua sint, Aquilo quas sic adduxerit oras,
quique colant (sibi sola iacent), hominesne feraene,

noscere constituit sociisque exacta referre.
310 in nemorum conuexa rates sub rupe cauata
arboribus clausas, fuscis horrentibus umbris,
occulit ; ipse suo graditur comitatus Achate
bina manu nitido crispans hastilia ferro.
cui mater media sese tulit obuia silua
315 uirginis os habitumque gerens atque arma Lacaenae
uirginis, illaue qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce uolucremque fuga praeuertitur Hebrum.
arcus enim pendet umeris de more paratus :
uenatrix erat illa, comam diffusa per auras,
320 nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.
ac prior ' heus,' inquit, ' iuuenes, monstrate, mearum
siqua per haec errans uobis loca uisa sororum est,
cincta sibi pharetra maculaeque et tegmine lyncis :
quamque aper adcurrit, soror huic clamore propinquat.'
325 Sic Venus et Veneris contra sic filius orsus :
' nulla tua est audita mihi neque uisa sororum ;
quam tamen adloquar, o uirgo ? ——procul o tibi uultus
mortali, neque uox hominem sonat ; o, dea certe
(anne soror Phoebi es ? an sanguine Nais ab alto ?),
330 fer, dea, comis opem nostro, quaecumque, labori ;
uenerimus sub quid caeli, quibus orbis in oris

---

u. 318 " pendēt " quia longior est hic arcus.

sit dolor hic, doceas: inopes hominumque locorumque
erramus uentis furibundoque aequore pressi.
multa tuae nostris arae cadet hostia dextris.'
335 Tum Venus: 'haud equidem tali me dignor honore;
uirginibus Tyriis mos est gestare pharetram
purpureoque supra suras uincire coturno.
Punica regna uides, Tyrios et Agenoris urbem;
sed Libyci fines, genus intractabile bello.
340 imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
fratre procul fugiens. longa est iniuria, longi
circuitus; at summa sequar fastigia rerum.
huic fuerat patria coniunx ditissimus auri,
nomine Sychaeus, miserae dilectus amanti,
345 cui pater intactam dederat primisque iugarat
ominibus. sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelerum cupiens, immanior angue.
quos medius furor inter uenit. et ille Sychaeum
impius ante lares atque auri caecus amore
350 clam necat incautum gladio, securus amorum
germanae; facinusque diu celauit et aegram
multa malus simulans uana spe lusit amantem.
huius at in somnis inhumati uenit imago
coniugis, ora modis attollens pallida miris;
355 quas prope nex, aras traiectaque pectora ferro
nuda facit, caecumque domus scelus omne retexit.

tum celerare fugam patriaque excedere suadet
auxiliumque uiae ueteri tellure recludit
(condita gaza sibi est) argenti pondus et auri.
360 his agitata fugam Dido sociosque parabat.
conueniunt quibus aut odium crudele tyranni
aut metus acer erat ; nauis, quae forte paratae,
corripiunt onerantque auro. portantur auari
Pygmalionis opes pelago ; dux femina facti.
365 deuenere locos ubi nunc ingentia cernes
moenia surgentemque nouae Karthaginis arcem,
emptaque terra modo, dicant quo nomine Byrsam :
tergora secta bouis quantam circumdare possent.
qui tamen estis ? ' ait, ' quibus aut uenistis ab oris ?
370 quoue tenetis iter ? ' quaerenti talibus ille
suspirans imoque trahens a pectore uocem :
' O dea, si rerum repetens ab origine pergam
et uacet haec audire meos sociumque labores,
ante diem clauso requiescet Vesper Olympo.
375 Dardania nos urbe ruta, si nomina Troiae
nota fuere tibi, diuersa per aequora uectos
forte sua Libycis tempestas appulit oris.
sum pius Aeneas : ego raptos hoste penatis
classe ueho mecum, fama super aethera notus ;
380 Italiam quaero patriam Ioue sanguis ab alto.
bis ratibus denis Phrygium conscendimus aequor,

matre dea monstrante uiam data fata secuti ;
turbine paene rutae septem rabieque supersunt.
ipse uagus, pereger, Libyae deserta peragro,
385 pulsus ab Europaque Asiaque.' at plura querentem
diua uetans medio sic interfata dolore est :
'Quisquis es, haud odio, credam, caelestibus aura
uesceris, ad Tyriam propior qui ueneris urbem ;
i modo reginaeque pedes ad limina perfer.
390 namque tibi reduces socios classemque relatam
sciueris in tutumque sitis Aquilonibus actam,
augurium ni fraude mali docuere parentes.
aspice bis senos hilaris hinc agmine cycnos,
aetheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
395 miscuerat caelo ; sed humum nunc ordine longo
aut capiunt captasue super spectare uidentur :
quae reduces ludunt uolucres strepitantibus alis
et celebrem cinxere polum cantusque dedere,
haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
400 aut portum tenet aut tumido subit ostia uelo.
i modo nunc et, qua ducit uia, derige gressum.'
Dixit et auertens rosea ceruice refulsit,
ambrosiaque coma fluit immortalis odoris
uerticeque aura ; pedes uestis defluxit ad imos :
405 incessu modo uera patet dea. mater ut illi
agnita, iam tali fugientem est uoce secutus :

'quid totiens natum, dura es quoque, mater acerbis
ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
non sinis ipsiusque tuis me reddere uoces?'
410 talibus ingemuit gressumque ad moenia tendit.
at Venus obscuro gradientis aëre saepsit,
et nebulae genetrix circum dea fudit amictu,
cernere ne quis eos neu quis contingere posset
neu fabricare moram, gressus aut poscere causas.
415 ipsa Paphum sublimis abit sedesque reuisit
laeta suas, ubi templa sibi, centumque Sabaeo
ture calent arae sertisque recentibus halant.

Interea rapuere uiam, qua semita monstrat.
collis erat, quo ducit iter, qui plurimus urbi
420 imminet. institerunt: uisae prope desuper arces.
molibus obstupidus fuit ipse, casaria quondam,
miratur portas strepitumque et strata uiarum.
instant quisque suo Tyrii: pars ducere muros
condereque hinc arcem manibusque reponere saxa,
425 pars loca lecta domo propriis concludere sulcis;
iura magistratusque legunt patriaeque senatum.
hic fodiunt alii portus; hic alta theatris
fundamenta locant alii, magnasque columnas
rupibus excidunt, scaenis decus aptius ipsis:
430 qualis apes aestate noua per florea rura
occupat ardentique labor, cum gentis adultos

prima uolare mouent fetus, cum liquida pressant
mella uel infragilis complent sibi nectare cellas,
aut onus accipiunt rediens, aut desidiosum
435 agmine fucorum pecus a praesepibus arcent ;
feruet opus redolentque thymo fraglantia mella.
' qualis adest fortuna, quibus iam moenia surgunt ! '
dicit et Aeneas fastigia suspicit urbis.
sic init huc saeptus nebula (mirabile dictu)
440 per medios, miscetque uiris neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
quo, simul adueniunt agitati turbine, Poeni
signa loco fodere, deae monstrata suorum
Iunoni, caput acris equi : genus unde per arma
445 egregium foret et diues per saecla futurum.
hac ingens regina deae condebat in umbra
muneribusque opulens templum, cui numen inesset.
aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque
aere trabes, foribus cardo stridebat aënis.
450 hic data prima quies : noua res oblata timorem
leniit, hic aliquid rex noster habere salutis
coepit et adflictis melius confidere rebus.
namque sub ingenti tuitur dum singula templo
opperiens Didon, dum quae fortuna sit urbi

---

u. 432 " līquida " apud Lucretium bis saltem (*De rerum nat.*, ii. 452, iv. 1259).

455 artificumque manus calidas operumque labores
miratur, uidet Iliacas ex ordine pugnas
bellaque iam fama populos cito lata per omnis,
Atridas Priamumque trucemque ambobus Achillem.
constitit et lacrimans ' quis iam locus,' inquit, ' Achate,
460 quae regio supera est Phrygii non plena laboris ?
en Priamus. sunt hic etiam sua praemia laudi,
sunt lacrimae rerum, mortalia Tartarus adflet.
solue metus ; feret haec aliquam tibi fama salutem.'
sic ait atque animum pictura pascit inani
465 multa gemens, largoque lauat sibi flumine uultum.
namque uidebat uti bellantes Pergama circum
hac fugerent Grai, premeret Troiana iuuentus ;
hac Phryges, insequitur curru cristatus Achilles.
nec procul hinc Rhesi niueis tentoria uelis
470 agnita cum lacrimis : medio quae prodita somno
Tydides pauida populauit caede cruentus,
et nitidos auertit equos in castra priusquam
pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
praeterea fugiens amissis Troilus armis,
475 ille miser puer, haud similis, congressus Achilli,
fertur equis curruque haeret resupinus inani,
lora tenens tamen ; huic ceruixque comaeque trahuntur
desuper, et terrae facies inscribitur hasta.
templa sed Iliades non aequae Palladis ibant

480 crinibus in macie passis peplumque ferebant
suppliciter tunsaeque dolent ibi pectora palmis ;
diua solo fixas acies auersa tenebat.
Iliacos circum ter traxerat Hectora muros
exanimumque lucro corpus uendebat Achilles.
485 tum gemuit uero gemitus heu pectus apertos,
ut spolium currusque, merumque ut corpus amici
utque manus Priami tentas conspexit inermis.
se quoque principibus permixtum uidit Achiuis,
nigraque, et Eoas acies quoque, Memnonis arma.
490 ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens mediisque in milibus ardet,
aurea subnectens inopertae cingula mammae
bellatrix, nimis ausa uiris concurrere uirgo.
Dardanus Aeneas hos dum uidet arte uigentis,
495 dum stupet obtuiturque memor, regina, latentes
qua steterunt, ad templa grauis, pulcherrima Dido
uenerat ingenti iuuenum comitata caterua.
qualis ab Eurota prope, per montanaue Deli,
monstrat iter Diana choris, quam mille secutae
500 hinc atque hinc glomerantur Oreades ; ipsa pharetram
fert umero gradiensque deas supereminet omnis
(gaudia percurrunt genetricis pectus et ossa) :
talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per medios instans operi regnisque futuris.

505 tum foribus diuae, media testudine templi,
arma regens solioque alte subnixa resedit.
iura dabat legesque uiris, operumque laborem
partibus aequabat modulans aut sorte trahebat :
cum subito coetus accedere uiderat ipse
510 Anthea Sergestumque Capynque acremque Cloanthum,
ecce suos fortis ! ater quos aequore turbo
dispulerat penitusque alias auexerat oras.
obstipuit simul ipse, simul percussus Achates
laetitiaque metuque ; auidi contingere dextras
515 percupiunt, sed res animos incognita turbat.
dissimulant et nube caua speculantur amicti,
quidue uiris fortuna, rates his quaue relictae,
quid ueniant ; totidem, lecti quot nauibus, orant
nunc ueniam : uenia templum clamore petebant.
520 Iamque ineunt ; coramque data est ubi copia fandi,
maximus Ilioneus placido sic pectore coepit :
' o regina, nouam cui condere Iuppiter urbem
iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
te miseri Troes uentisque per aequora uecti
525 oramus : prohibe sceleratos nauibus ignis,
parce pio generi, propius res aspice nostras.
haud animo gladiis Libycos populare penatis
uenimus, haud raptas ad litora uertere praedas ;
non ea uis animo nec tanta superbia uictis.

530 est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
non noua terra, potens armis atque ubere glaebae ;
Oenotri coluere uiri ; nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
hic cursus fuit, huc Siculis ibamus ab oris,
535 cum subito fluctu surgens hiemalis Orion
in uada caeca tulit penitusque procacibus Austris
perque salem superante salo perque inuia saxa
dispulit ; has pauci, tua litora, nauimus oras.
quod genus hoc hominum ? quae talem barbara morem
540 patria non uetat ? hospitio prohibemur harenae ;
bella cient primaque uetant consistere terra.
si genus hac hominum mortaleque temnitis agmen,
at memores sperate deos, quid fasque nefasque.
et sumus Aeneadae : regum sic iustior ipso
545 quis pietate fuit, bello sic maior et armis ?
fata uirum seruent utinam ! si uescitur aura
aetheria neque adhuc crudelibus occubat umbris,
non metus, officio nec te certasse priorem
paeniteat. sunt et Siculis regionibus urbes
550 armaque Troianoque a sanguine clarus Acestes.
turbine quassatam liceat subducere classem
arboribusque aptare trabes et stringere remos,

---

u. 534 " huc... " lacuna Vergiliana ab Arituneo expleta.

si datur Italiam sociis et rege recepto
tendere, tunc Italos qua iam Latiumque uehamur ;
555 sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum,
pontus habet Libyae nec iam spes restat Iuli,
at freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
adsumus unde mari, regemque petamus Acesten.'
talibus Ilioneus ; cuncti simul ore fremebant
560 Dardanidae paulum : sed utrimque silentia uincunt.
Tum breuiter Dido faciem demissa profatur :
' soluite corde metum, Teucri, secludite curas.
duraque res regnumque nouum me talia cogunt
moliar ad finis ubiuis custode tuendos.
565 quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
atque animum tantosque uiros ignemque supremum ?
non adamanteo gerimus nos pectore Poeni,
nec Tyria sic uersus equos Sol iungit ab urbe.
siue quid Hesperiae petitis Saturniaque arua
570 aut Erycis Siculumue potens adeundus Acestes,
auxilium tulero uobis opibusque iuuabo.
uultis et his mecum pariter considere regnis ?
urbs, ego quam statuo, uestra est ; subducite nauis ;
Tros Tyriusque mihi ducetur ut unus et idem.
575 atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem

---

u. 560 " paulum... " lacuna Vergiliana ab Arituneo expleta.

adforet Aeneas! equidem per litora mittam
protinus extremosque locos lustrare iubebo,
naufragus in siluis aut si quibus urbibus errat.'
Arrigit his animos Sidonia fortis Achatae
580 et patris Aeneae, citius qui nubibus edi
percupiunt. prior Aenean compellat Achates:
'nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
omnia tuta uides, classem sociosque receptos.
unus abest, medio quem gurgite uidimus ipsi
585 sidere; conueniunt dictis bene cetera matris.'
uix ea fatus erat cum scindit fusa per illos
se subito nubes et in aethera purgat apertum.
restitit Aeneas: radianti luce refulsit
os umerosque deo similis; namque ipsa decoram
590 caesariem nato genetrix lumenque iuuentae
purpureum laetosque oculis adflarat honores:
quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
argentum Pariusue lapis bene clauditur auro.
adgreditur sic reginam citiusque uidentum
595 spe necopinus ait: 'coram, quem quaeritis, adsum,
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
sola meos o tot Troiae miserata labores,
reliquias Danaum quae nos, terraeque marisque
omnibus exhaustos iam casibus, artis egenos,
600 urbe, domo socias, grates persoluere dignas

non opis est nostrae, Dido, neque quidquid ubique est
Dardaniae gentis, periens quae sparsa per orbem.
di tibi, si qua pios meminerunt numina, si quid
iustitiae est usquam mens et sibi conscia recti,
605 praemia digna ferant. quae te tam laeta tulerunt
saecula? qui talem tanti genuere parentes?
in freta dum fluuii current, dum montibus umbrae
corripiunt conuexa, polus dum sidera pascet,
semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
610 quo mihi cumque trahar fatis.' sic fatus amicum
Ilionea petit dextra laeuaque Serestum,
post alios, fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

Viderat ut primum, stupuit Sidonia Dido,
deinde uiri percussa malis, tamen ore locuta est:
615 'nate dea, quis te per tanta pericula casus
insequitur? quae uis immanibus applicat oris?
illene es Aeneas quem Dardanio Anchisae
alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
atque equidem Teucrum memini Sidona uenire
620 finibus expulsum patriis, noua regna petentem
auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
introitam Cyprum uictor dicione tenebat.
tempore, quo uenit ille, labor mihi cognitus urbis
Dardaniae nomenque tuum regesque Pelasgi.
625 hostis ut ipse, bona Teucros mihi laude ferebat,

se quoque progeniem certe quibus esse uolebat.
o, iuuenes, igitur tectis succedite nostris.
me quoque per multos similis fortuna labores
hac crucians demum uoluit consistere terra ;
630 non ignara mali miseris succurrere disco.'
sic memorat ; simul Aenean in regia ducit
tecta, deumque simul templis indicit honorem.
nec minus interea sociis ad litora mittit
quinque quater tauros, teretumque horrentia centum
635 terga suum, pinguis totidem cum matribus agnos,
munera laetitiamque dii, cum munere Bacchi.
at domus interior nitido modo regia luxu
instruitur, mediisque parant conuiuia tectis :
arsque laborque, manu uestes, ostrumque superbum,
640 argentum graue propositum, caelataque in auro
fortia facta patrum, series longissima rerum
ducta per antiquos, quot erant ab origine, gentis.
Sed pater Aeneas (quid enim requiescere mentem
passus amor ?) rapidum ratibus praemittit Achaten,
645 Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat ;
omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
res super Iliacis ereptas dona ruinis
ferre iubet, quae palla rigens auraria signis

---

u. 636 " cum... " lacuna Vergiliana ab Arituneo expleta.

textaque de croceo circum uelamina acantho ;
650 hic Helenes ornatus erat, hunc illa Mycenis,
Pergama cum peteret et adulterio hymenaeos,
extulerat, quae Leda dedit tunc munera natae ;
insuper, Ilione sceptrum quod gesserat olim
maxima natarum Priami, bacasque monilis
655 faucibus, et duplicem gemmis auroque coronam.
haec celerans iter ad nauis tendebat Achates.

At Cytherea nouas artis, noua pectore uersat
consilii : faciem mutatus et ora Cupido,
ut uenit Ascanius, ueniat, donisque furentem
660 efficiat Didon atque ossibus implicet ignem.
quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis ;
urit atrox Iuno ; uenit Hesperus : anxia mente est
mater et aligerum uocat, his adfatur Amorem :
' nate, meae uires, mea magna potentia, solus
665 nate patris summi qui tela Typhoëa temnis,
tu mihi subuenias, tua supplex numina posco.
frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
litora iactetur stomacho Iunonis acerbae,
nota tibi, pius et doluisti saepe dolore.
670 nunc Phoenissa tenet melius tenerisque moratur
uocibus, at uereor tibi quis Iunone paretur
exitus : haud pigrior remanebit cardine rerum.
ante dolis ideo captam cito cingere flamma

reginam meditor, ne quo se numine mutet,
675 sed magis Aeneae mecum teneatur amore.
quomodo tu facias, age nostras accipe mentis:
regius imperio cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
dona ferens mareque et flammam superantia Troiae;
680 hunc ego sopitum placide super alta Cythera
aut super Idalium sacrata sede recondam,
ne qua scire dolos mediusue requirere possit.
Ascanium tu nunc noctem non amplius unam
falle dolo: notos pueri puer indue uultus,
685 ut, gremio cum te capiet laetissima Dido
inter regalis epulas laticemque Lyaeum,
cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
clam ferus inspires ignem fallasque ueneno.'
paret Amor dictis carae genetricis, et alas
690 exuit et graditur gaudens deus instar Iuli.
at Venus Ascanio placidam per membra quietem
inrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
floribus et dulci spirans complectitur umbra.
695 Iamque adit, ut Cytherea iubet, pede: dona Cupido
regia portabat Tyriis duce laetus Achate.
cum uenit, aulaeis iam se regina superbis
splendida composuit sponda mediamque locauit,

iam pater Aeneas, ibi iam Troiana iuuentus
700 conueniunt, stratoque super discumbitur ostro.
dant manibus famuli lymphas Cereremque canistris
expediunt tonsisque ferunt mantelia uillis.
sex decies intus famulae, quibus ordine longam
cura penum struere et flammis adolere penatis ;
705 totque aliae totidemque pares aetate ministri,
qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.
uenerat et Poenum, per limina laeta, caterua,
rara uidere ; toris iussi discumbere pictis
dona uident Iulumque uident, mirantur utrumque :
710 igniferamque dei faciem simulataque uerba,
palliaque et pictum croceo uelamen acantho.
praecipue miseranda, malo deuota futuro,
aequa sat esse nequit magis ardescitque tuendo
nunc Dido : pariter puero donisque mouetur.
715 hic ubi blanditiaque uiri colloque pependit
et, uelut ille sit, impleuit genitoris amorem,
iam petit hanc : iamque haec oculis, haec pectore toto
haeret et interdum gremio fouet inscia Dido
insideat quantus miserae deus. ales at almae
720 natus Acidaliae minuens abolere Sychaeum

---

u. 703 et u. 705 famularum ministrorumque numeri mutantur.

u. 709 " Iulum " uerbum disyllabum quo simulatio pingatur Amoris.

incipit et uiua iurat praeuertere flamma
usque adeo resides animos desuetaque corda.
Vtque epulis est prima quies magidesque remotae,
nunc statuunt cratera grauem, nunc uina coronant.
725 fit strepitus tectis uocemque per ampla uolutant
atria ; de laqueare faces pendebat et auro
candidulae : tenebras rutilis funalia uincunt.
hic regina grauem gemmis auroque poposcit
impleuitque mero pateram, quam Belus et omnis
730 posteritas solita est ; hinc facta silentia tectis :
' Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
hunc Tyriisque diem laetum Troiaque profectis
esse uelis, sociumque diem meminisse minores.
laetitiae ueniat Bacchus dator almaque Iuno ;
735 et precor o coetum, Tyrii, celebrate fauentes.'
dixit et in mensam laticum libauit honorem
primaque, libato, labiis tenus attigit ipsa ;
tum Bitiae dedit increpitans ; hic impiger hausit
spumiger os pateram : pleno se proluit auro ;
740 post alii proceres. cithara crinitus Iopas
personat aurata, docuit quem maximus Atlas.
hic canit instabilem lunam solisque labores,
unde pecusque hominumque genus, mare quid sit et ignes,
Arcturum pluuiumque Bouem geminosque Triones,
745 Oceano quid sic properent se tingere soles

frigoribus, uel quae grauiter mora noctibus obstet ;
ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
atque etiam uario noctem sermone trahebat
infelix Dido solidumque bibebat amorem,
750 multa super Priamo rogitans, super Hectore multa ;
nunc quibus Aurorae ualuisset filius armis,
nunc Diomedis equi quales, nunc quantus Achilles.
' quin age principio mihi dic ab originis, hospes,
insidias ' inquit ' Danaum casusque tuorum,
755 qualiaque erraris ; nam te iam septima portat
omnibus errantem terris et fluctibus aestas.'

Aeneidos Vergilianae Librum Primum ui sententiisue uix mutatis mutauit tandem aliquando Arituneus poeta, ut uidetis, in id epos quod et blandius sit et lēuius lĕuiusque et dulcius. anomaliae, quo uerbo hic audet uti Arituneus, praeterquam quae supra adnotantur tres (uu. 120, 174, 260), adhuc tamen relinquuntur hae :

1) elisiones : u. 25 necdum etiam u. 63 premere et u. 114 ante oculos u. 164 nemore et u. 649 uelamina acantho u. 704 struere et u. 722 usque adeo
(sed hinc foris exclusa esse existimate ea uerba, quae sunt ' -que ' et ' atque ', passim elisa. adicienda puto duo uerba, quae sunt 'neque ' et ' namque ', rarissime elisa.

2) uocales insolenter longae (hae, quamquam longae sint non necesse est in recitatione, at in scansione aestimari solent pro longis) : u. 44 ferīt u. 650 erāt u. 651 peterēt (recitate uero e. g. u. 650 ' ... ĕ̆-rāt, } hunc ... ', non ' ... ĕ̆-rā-thunc ... '.)

quas ' anomalias ', tam paucas, immutatas relinquere equidem censeo esse humanum. ne quid nimis !

（付記）

歴史上の事実についてのみ一言すると，本稿で発表されている私の学術成果はウェルギリウス没後二千余年間，全世界で誰一人着想も実現もなしえなかった重要課題の解決である．

なお、以下は英文要約の一部ととうぜんのことながら重複するけれども，ラテン語詩歌の生命にもかかわる重大な事項なので，末尾に生じた空白を利用してあえて邦文によっても再説しておく．

この二千年間，古典原詩の読者はその意味や内容のほうに注意を注ぐあまり，それのラテン詩歌としての音韻上の水準に視力を集中することを怠り続けたと思われる．いな，そのような視力はローマ帝政期の後半以後，急速に鈍化して現代に至っている．しかも優れた古典語教育を欠く人々にあっては，この鈍化は驚くほど急速に進行する．それとともに全文明の蛮族化が始まる．（だから古典古代の高度がいかばかりであったかも容易に推知できる）．しかしラテン語の発音がすでにはやくから欧州で蛮族化していることに本当に気づかれ始めたのは，今よりようやく約30年前にすぎない．さらに，「音節の長短」を古代におけるように何よりも重視しようという理に合っていて優美な，しかし現代欧米人の大部分には発音のうえで著しく実行困難な言語運動が活発になってきたのは，ごく最近のことにすぎない．――そしてそれと深い関連がある事であるが，ウェルギリウスの詩を過度に賞揚し続けた基盤は，ラテン作詩教育の形式化などをはじめとしてほかにも様々ありはするけれども，それは何よりもまず，一方ではラテン語の発音の慢性的な俗化（これはラテン文明の伝統が永いヨーロッパで特に顕著である），他方ではラテン作詩者の作詩原則採択にあたっての浅見であった．「ウェルギリウスに先例がある」と信じこんだ瞬間，多くのばあい誤りが生じる．西欧の人に多い誤りである．これの匡正も拙稿の狙いのひとつであった．

（以　上）

CORRIGENDA　　（正誤表）

（Ⅰ）　ubi scribitur Latine　　（ラテン語本文で）

p. 14, l. 5: lēuioremque (non: leuioremque)

p. 24, l. 24: in-sti-tutis (non: ins-ti-tutis)

p. 27, l. 17: Maronis (non: Maronem)

（Ⅱ）　in summario Anglice scripto　（英文要約で）

p. 8, l. 10: collapse (non: collaspe)

p. 9, l. 10: inelegant (non: ineligant)

ARITVNEVS MIZVNO
水　野　有　庸